



## Breuis Relatio Victoriæ,

mi.

Illustriss<sup>mi.</sup> Domini Palatini Campiductoris Regni Poloniæ , qua  
Ducis Sudermaniæ Copiæ ad  
deditioñem adactæ sunt.

**D**ominus Generalis , qui tota hyeme cū exercitu  
inter altissimas niues & glacialia valla in Castris  
sub Dvrschouia mansit , cum minūs feliciter ob'in-  
comoda hyemis rem agi a Præfectis suis sub Ciuitate Tu-  
censi mari adiacente intellexisset , quæ eo validiori hosti  
Suæci præsidio tenebatur , quod is locus maritus sit , &  
magnam hosti cōmoditatē exponendi ex classe milite &  
Gedanum infestandi præberet , vnaque ad eum perlatur  
esset hostilem exercitum in Saxonia , Mekilburgo , Pomer-  
ania & alijs maritimis locis collectū ad soluendū obsidione  
Puckū per Pomeraniā velnouam Marchiam magnis itine-  
ribus per uadere velle die 28. Martij relictā ad Dyrſchouia  
parte copiarum , cum exercitu versus Puckum mouit , &  
admotis die 2. Aprilis machinis cuniculis actis , mænibus-  
que Ciuitatis prostratis hostem ad deditioñem propositis  
arbitratu suo Conditionibus adegit . Capto Pucko vbi ab

A

explora.

14.028

X-2459-11

## Brevis Relatio Victoriae.

exploratoribus cognouit hostē superato fluvio Stolpa ad Oppidum Słupsko in confinijs Pomeraniæ sitο , confeditse relicto in Ciuitate Pucensi peditatu tormentis omnibusque impedimentis cum equestribus copijs & dragonibus quō celerius hostem aggredetur , & insperato inuaderet , in Pomeraniam die 6. April. contendit , compellato per literas Duce Pomeraniæ se hostem Sacrae R. M. & Reipub. in ditionibus ipsius persecuturum , quandoquidem ille nollet vel non posset eum ditionibus suis arcere. At hostis vbi Puckum captum & Dominum Generalem cum expeditis copijs quamuis numero inferioribus aduentare cognouit , abiectis curribus , sarcinis , & alijs impedimentis , & magna equorum copia in istum peditatum ex adjacentibus villis ad celeriorem fugam conquisita traiecto fluvio Stolpa retrocessit , & bidni itinere Amerstenum peruenit , eo consilio ut Słuchouiam Arcem , vel Choyniciam vi vel terrore , occuparet . Verū Dominus Generalis vbi hostem tanta celeritate Amerstenum peruenisse , & occupasse intellexerit , metuendo non tam Arci Słuchouiensi quam & arte & natura munitam præsidio etiam Magnificus Palatinus Culmensis firmauerat , quam Choyniciæ cui minus fidendum multis de causis censebat , versus eam ciuitatem arrepto suo Bitouiam itinere cum exercitu magna celeritate contendit . Sed cum hostem Amerstino minimè mouisse , sed Oppidum id subitaneo opere muniuisse comperit eo 12. April. copias inopinato admouit , cæsis & oppressis qui in adjacentibus villis confederant , & qui medio ante Oppidum milliari in statione excubabant , ex quibus unus duntaxat evasit , qui nisi de aduentu Domini Generalis suos in Op-

## Relatio Brevis Victoriae.

in Oppido admonuisset , eodem impetu vniuersæ hostiles copiæ oppressæ fuissent , nam Duces hostium missis ex oppido aliquot equitum turmis qui nostros morarentur impigrè defendendi oppidi & nostros facta eruptione inuadendi curam agunt. Ast nostri his turmis partim cæsis , partim fugatis ita fugientium tergo institerunt , vt si peditatus & tormenta tūc adfuissent eodem die hostiū copiæ deletæ fuissent , per Dragones tamen & equites quorum magna pars peditum munia alacriter obibat , res eo die ita gesta vt magno hostis afficeretur in ipsis munitiōibus detrimento. Nox prælium diremit , quam & posteram diem obseffis omnibus viis ne hostis fuga euaderet in equis exercitus noster egit , pedestres copias & tormenta expectando , quæ vbi die 15. April. ante ipsum vesperum adfuerunt , noctu munitionibus operibusque circumcirca actis & tormentis dispositis , ijsque summo mane explosis in oppidum consternati hostes & magna clade tormentorum globis per Oppidum vti nullis mœnibus cinctum peruolantibus affecti , supplices Quartir à Domino Generali petierunt. Quem vix tandem exercitu nostro ægrè id ferente & prædam sibi eripi querente , impeararunt. Adducto ad id Domino Generali cum vt Christiano sanguini parceret , & tam oppidum S. R. M. quam milites in eo inclusos seruaret , quorum opera contra Suecum vti posset , tum quod ei nunciaretur hostes Marienburgo ad oppugnandum Graudentum profectos , ni ei tempestiuè subueniretur , facile opportuna Ciuitate posse potiri: Itaque his de causis & præsertim vt virtutis & clementiæ exemplum relinqueret supplices hostium copias in deditiōnem his conditionibus accepit:

Brevis Relatio Victoriae.

# CONDITIONES,

Ab Illustrissimo Domino Stanislao in Koniecpole Koniecpolski, Palatino Terrarum Sandomirien. Campiductore Regni Poloniae Wielunen. Baren. Kouelien. Ploskrouien. Praefecto concessae supplicibus militibus Sudermaniae Principis Hamerstini die 16. April.

Anno 1627.

**Q**uandoquidem, milites pro Principe Sudermaniae contra S. R. M. Dominum meum Clementissimum ducti, per me Exercitumque S. R. M. Hamerstini cincti & oppugnati, aduertentes se nulla iusta causa imò summa temeritate suorum officialium esse seductos, eoque periculi adactos ut nullatenus saevas militum nostratum manus euadere possint, ( quod quidem fauente Diuina ope & iustitia S. R. M. aliter fieri nequiret ) supplices misericordiam petierint, & Conditiones sibi concedi per suos Rothmagistros efflagitauerint, Clementiae quam saeuitiae magis indulgere consuetus, imò condolendo iniquitati temporum aut hominum, quod ab utrinque Christianus effundatur sanguis, conditiones etiam contra vota militum supplicibus concedendas duxi.

## I.

Officiales nonnullos videlicet, Obersten Streiff, Obersten Taiffel, Oberstenleuthnanth Kiedritz, qui vos eò insanis & periculi deduxerunt, deserant & captiuos reddant, cum omnibus eorum bonis, tam proprijs quam spolijs, quorum salus clementiae S. R. M. relinquetur.

H. Om-

## Brevis Relatio Victoriae.

### II.

Omnia insignia & apparatus bellicos videlicet tormenta, sclopcta, pulueres, & globos vexilla, tympana, tubas & quæcunque alia reperientur, reddant Commissarijs ad hoc deputatis, imò trophæa omnia ad pedes ab ipsis metu projicienda.

### III.

Spolia omnia, captiuos itidem si aliqui inuenientur, nec non bona Nobilium & subditorum S. R. M. ablata, videlicet, equos, pecora, & quæcunque inuenientur alia ijsdem Commissarijs reddant, atque restituant exnunc.

### III.

Vt ipsi milites equestres quidem qui sponte voluerint, pedites verò & Dragones absolute omnes iuramento se adstringat seruitijs Serenissimi Regis nostri, quibus Officiales & Rothmagistri, noui designabuntur, stipendia quoque prout cæteris omnibus promittuntur.

### V.

Qui Exercitui S. R. M. annumerari renuerint, & in suas Regiones reuerti velint iuramentum praestare debent, quod per vnum Annum & sex septimanas contra S. R. M. & Regnum Poloniæ arma non sint sumpturi, & absque omni mora relictis proprijs curribus discedant per viam sibi designatam, in qua transeunda, nullas iniurias tam in Regno

## Brevis Ralatio Victoriae.

in Regno quam infinitimis Ditionibus inferre debent vi-  
et libere sibi concessa contenti.

In cuius rei memoriam ac fidem Illustriss. Generalis  
cas Conditiones manu propria subscripsit, sigillumque su-  
um apprimi mandauit. Dabantur in Castris ad Hamersti-  
num die & anno ut supra.

Fuerunt autem Turmæ seu Corneti equitum quatu-  
ordecem, Peditum Cohortes tredecem, quorum ea sunt  
nomina.

---

Oberster Streiff, cuius Cornet Album.

Oberster Taiffel, cuius Regimen Marieburgi, qui  
ambo cum Viginti septem vexillis infra annotatis, & alijs  
insignibus militaribus Varsauiam ad S. R. M. sunt missi &  
captiui adducti relictis duntaxat in castris tormentis, pul-  
ueribus quorum copia apud hostem reperta.

Supremus locumtenens Kiedric qui fugitiuus in Po-  
merania apprehensus.

Supremus locumtenens Kolembach cuius Cornet  
crocei coloris symbolum Leo feriens Polonum gladio cum  
inscriptione, Deus Suecorum & Pomeranorum Amicus,  
Polonorum inimicus.

Rothmagister Ludouicus Kinge, ceruleum Cornet  
in quo flauus Grus, cum inscriptione, Vigilemus.

Capitaneus Bekert ceruleum Cornet cum symbolo  
coloris cœlestis.

Cohortis Præfectus Picht Ceruleum Cornet in quo  
aureus Equus.

Ioannes

## Brevis Relatio Victoriae.

Ioannes à Breckweldt ceruleum Cornet in quo aureus Leo.

Von Arnim rubrum Cornet.

Ioannes Bachard à Stymbert Ceruleum Cornet, in quo argenteus Leo.

Maior Kluczynk qui non adfuit album Cornet, in quo Eques aureus.

Iacobus Borckstorff Ceruleum Cornet.

Ioannes Gros Ceruleum Cornet in quo Equus tex-

tus.

Ioannes Christophorus à Borckstorff Ceruleum Cor-

net in quo aurea Crux.

## Pedites.

Supremus Locumtenens, Ioannes Fridericus Spar;

Maior Bulfft.

Capitaneus Ewerdt ab Arnem.

Capitaneus Leopoldus Herre.

Capitaneus Gotfridus ab Arnem.

Capitaneus Valtman Dhauxa.

Capitaneus Christophorus Siedlinck.

Capitaneus Liberbaro à Grandenz.

Capitaneus Menck.

Supremi Locumtenentis Kiedryc cohors.

Capitaneus Comes ab Eberstayn.

Capitaneus Henricus Hiemcke.

Ambrosius Laurentius.

Quorum

Breuis Relatio Victoriae.

Quorum etiā omniū vexilla ad pedes Illustrissimi Domini Generalis, ab ipsis met ductoribus proiecta, & pedites seruitijs S. R. M. iuramento adstricti,

Ex Equestribus copijs & si eis liberum erat, abire ducenti dumtaxat & quinquaginta Equites abierunt, cæteri in seruitijs S. R. M. iuramento præstito remanserunt.

Constat Ducem Sudermaniæ in has copias, quæ integrō ferè anno magnis stipendijs conducebantur, plus quam duos milliones expendisse.



V A R S A V I Æ;

In Officina Ioannis Rossowski, S. R. M. Typograph.  
die, vltima April. Anno Domini, 1627.